UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Adm. Illvstris Ac R.dissimi Domini D. Fr. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini Ord. FF. Prædicatorum

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, Anno M.DC.XLIX.

§.14. Decernit Deus ad esum Agni Paschalis vt se Iudæi præparent, quo nos compellat ad digniorem multo præparationem ad S. Communionem accedentes, cuius hic figura fuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53084

Visual Library

potiſſimum innoteſcit Dei miſericordia ac benignitas qua te demulcet, quam tamen tu pauperi non exhibes: cum viſcera quidem habeas quibus illum fame videas emorientem, nec tamen vel paruula ſuccurras eleemolyna, quomodo te perſuades rite diſpoſitum ad diuinam hanc communicationem? Ad illam te præpara & multis quidem diebus charitate, ſanctitate, puritate & miſericordia: cum enim hæc tibi bona Deus communicet digne accedenti, quæ ſunt patrimonium illius Regale, ratio poſtulat, vt ex parte tua profectum in illis procures, quatenus te Deus hac diſpoſitione dignum ad ſtatum euehat diuinæ ſuæ eſſentiæ digniorem.

§. 14. Decernit Deus vt ad eſum agni Paſchalis ſe Iudæi præparent, quo nos compellat ad digniorem multo præparationem ad S. Communionem accedentes, cuius hic figura fuit.

☞ 41 *In 4. Sent. d. 8. q. 2 ſolut. ad 4.*

I. Agnus Paſchalis ſignificabat Chriſti Paſſionem.

SEraphinus Doctor D. Bonauentura probat agnum Paſchalem in lege Moyſi expreſſam geſſiſſe figuram V. Sacramenti: quia propriè ſignificabat agnus ille paſſionem Domini, ex qua omnia Sacramenta ſuam erant accepturа virtutem quam habent cauſandi gratiam: & quamuis verũ ſit illa omnia efficaciã habere ad illã cauſandam, ſumendo illam quam cõtinent, ex paſſione Chriſti: quia tamen ſingulariter cõtinetur Chriſtus, ſecundum quod illum conſideramus in paſſione ſua, in hoc diuino Sacramento: idcirco ſignis notabilioribus notiſque expreſſionibus præfiguratus fuit in agno Paſchali: vnde inſignior fuit inter reliquas, figura huius in lege ſcripta: quinimo arbitror idcirco à Deo decretum vt filij Iſrael Paſcha celebrarent agni ſingulari quadam præparatione. Hæret D. Thom. in eo quod ait D. Ioan: quod Iudæi celebraturi hoc Paſcha immolando hunc agnum: idcirco dictum Paſcha agni, atque Hieroſolymam confluxuri ex omnibus Regionis partibus, pluris diebus ante feſtum ad templum concurrerent: erat hic locus vbi ſacrificium erat litandum & agnus comedendus: atque diebus aliquot ſe pijs quibuſdam impenderent operibus, quibus ſanctificarentur & ab omnibus peccatis ſuis atque imperfectionibus mundarentur, ob quas impediri poterant & retineri à celebratione Paſchatis & manducatione agni. Hoc Euangeliſta verbis illis indicauit: *Proximum erat Paſcha Iudæorum, & aſcenderunt multi de regione ante Paſcha vt ſanctificarent ſeipſos.* & quomodo ſe ſanctificabant? Reſpondet D. Tho. *Nullus audebat comedere agnum niſi mundus, & ideo præueniebant tempus Paſcha, vt interim purificantes ſe ipſos poſſent in Paſcha agnum rite comedere:* purificantes ſe ab omni eo quod illos poterat inquinare, emundantes ſe ab omnibus maculis affectus carnis & ſanguinis, & tempus impendentes virtutum operibus quibus ſanctificabantur dignique ad eſum agni cenſebantur. An ergo ad mortem & eſum agni tanta præparatio? Vtique: eſt enim agnus myſticus qui nobis in memoriam reducit agnum illum in Ægypto ſacrificatum, cuius ſanguis multum nobis contulit ad egreſſum de ſeruitute illa liberum: etenim eo conſperſi ab Angelo percutiente reddebamur immunes, & ſoluti à tyrannica ſeruitute Pharaonis egreſſi ſumus: deinde eodem eius ſanguine à ſcelerum noſtrorum maculis emundamur.

D. Thom. In ca. 11. Ioa. lect. 8

II. Iudæi ſe ad hanc ſolemnitatem præparabant.

Ioan. 11.

Si igitur ad celebrationem huius Paſchalis & agni manducationem tãta requiratur diſpoſitio & neceſſe ſit ſe ſanctificare, quibus peractis ſe ad epulum dignos arbitrentur: quæ neceſſaria futura eſt ad Paſcha noſtrum præparatio, in quo nobis manducandus traditur cæleſtis ille agnus iam pro nobis immolatus: cuius ſanguis mundum redemit, nos à ſeruitute eripuit ſatanæ, noſtrorum ſcelerum maculas expurgauit, cælum aperuit & eius gloriam omnibus reddidit patentem; vt illa perfruamur: deinde nos Deo conciliauit? Si agnus ille Paſcha fuit Iudæis, quid nobis erit agnus hic diuinus? Si ad eius comeſtionem tanta præmittitur purificatio & ſanctificatio, ad huius manducationem quænam requiretur digna purificatio? Si nullus ſe iudicet rite diſpoſitum qui pluribus ante Paſcha diebus non venerit ad templum & ſanctificatus fuerit; quis ſe dignum exiſtimabit ad ſacram hanc communionem, ſi templum non frequentet Eccleſiæ, atque in eo per Sacramentum pœnitentiæ non ſe ſanctificet, & multo ſtudio multoque tempore ſe præparet, ſtudens mortificationi, mundi execrationi pijſque meditationibus?

III. Multo maior requiritur à nobis præparatio.

Paſcha agni noſtri Chriſtus in V. Sacramento verus & legitimus Dei filius, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: ſacrificatus in amoris igne; hic enim in Diuino hoc Sacramento triumphum de Chriſto ducit illuſtriſſimum: ſi igitur Paſcha ſit adeo ſolemne vt pluribus excedat modis veterem illam ſolemnitatem ſi accedentes

Ioan. 1. II. Adhortatio ad præparationem.

cedentes ad illam Iudæi tanto labore ſe conen-
tur ſanctificare? ad hanc noſtram ſolemnitatem
& huius Sacramenti cæleſtis conuiuium an iu-
ſtum non erit ſe primitus per pœnitentiam, o-
pera virtutis & charitatis ſanctificare, vt ita ad
eius reddamur digni manducationem? Quod ſi
vigor & libido affectuum noſtrorum carnalium
obſit ſpiritui, vt illorum importunitate debilita-
tus ſe nequeat attollere ad profectum ex fructi-
bus huius diuinæ communionis referendum:
nunquid conueniens erit vt rigida abſtinentiâ
ſeuerisque ieiunijs illi mortificentur, quatenus
ſpiritus ab his ſolutus & bene diſpoſitus vtilita-
tem ex illis poſſit haurire copioſam?

☞ 42. V. *Allegoria de Eſdra Sacerdote.* Miror ſummopere quod Angelus præcepit
Eſdræ ſacerdoti. Pijſſimus hic doctor maximo-
pere contriſtabatur ex aduerſitatibus quibus Dei
populus captiuus in Babylonia & Chaldæa affli-
gebatur: exoptans autem certa quædam percipe-
re nuntia, quando quibuſue modis ab illo ſol-
ueretur iugo captiuitatis liberque in patriam
remearet: quo fine feruentes pluresque Deo præ-
ces offerebat: & ecce apparet illi Angelus ait-
que: ſerue Dei hoc tibi ſit compertum me cæli-
tus miſſum vt nonnulla tibi quæ noſſe deſide-
ras, aperiam myſteria: porro requiritur priuſquã
illa tibi ſignificem tuque poſſis intelligere, ante
omnia te diſponas idque hoc modo: in deſertũ
ſecede ibique plures dies conſecra orationi, car-
nem ne comedas nec quidquam ſolidi, floribus
tantum veſceris, Deum obſecrabis, vt quæ noſſe
4. Eſdr. 9. deſideras myſteria tibi reuelet: *Ibis in campum
florum, vbi domus non eſt ædificata & manducabis
ſolummodo de floribus campi & carnem non guſta-
bis, ſed ſolummodo flores.* Ad finem dierum flori-
bus bene paſtus tamque delicato alimento quaſi
ſpiritualiſatus audit ab Angelo ſibi declarari
myſteria eaque altiſſima dum ille repræſentat
mulierem formâ quidem ſpecioſam ſed mæro-
factam lacrymarum, vnice dolentem filium ſibi
morte raptum eumque vnicum formoſum &
inſignem inſtar pinus aureæ, cæteris ſapientio-
rem, inter natos mulierum moribus magis com-
poſitum, atque in ætatis flore vernante ſubita
nece collapſum. Quis hoc capiat Sacramentum,
vt ad talem viſionem tantam requirat orationis
perſeuerantiam talem ſolitudinem, talem abſti-
nentiam, tales cibos, flores inquam in alimen-
tum?

VI. *Taliter nos de-* Indubie præclara Deus hic nobis inſinuat my-
ſteria ſed cæteris excellit diuinum hoc S. Sacra-
menti conuiuium: eſt etenim repræſentatio quæ-
dam nouaque commemoratio dominicæ paſſio- bemus
niſi ita D. Thom. *O S. conuiuium in quo Chriſtus* præpara-
ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius. Et ſicut te ad S.
tempore paſſionis Dominicæ Eccleſia pullum Synaxim.
induit amictum funditque vberrimas lacrymas
quia dolet ſponſum ſuum Chriſtum patientem,
idcirco oſtenditur in muliere illa luctu tabeſ-
cente, corde contrita, fletu madente, & gemiti-
bus ſuſpirante. Morientem illum conſpicit, ætate
iam floreſcentem, mortem patientem omnium
maxime ignominioſam: vtque eius perpetua vi-
ueret memoria Chriſtus hoc nobis reliquit Sa-
cramentum: vt igitur ad hoc myſteriorum my-
ſterium accedas, atque in te Dominicæ paſſionis
refricetur memoria dum illum recipis, præclara
poſcitur diſpoſitio vt ſic illo perfruaris.

Primo de mundi egrediendum eſt tibi nego-
tijs ad deſertum ſolitudinis tuæ, procul ablegã-
di ſunt affectus carnis & ſanguinis, mortifican-
dæ ieiunijs eius paſſiones, non aliud guſtandum
niſi flores, id eſt virtutum omnium exercitia:
ſunt enim flores ob gratum odorem quem de ſe
exhalant bonumque exemplum quo oculos re-
creant intuentium. Præpara igitur te primo ſi
deſideres vt in hac ſacra Communione tibi Deus
paſſionis ſuæ mortisque fructus communicet, &
per hoc cognitionem haurias myſteriorum a-
deo ſublimium, atque animæ tuæ profectum in
huius Sacramenti diuiniſſimo conuiuio: iã ſuas
luxurioſus omittat laſciuias, iam ſuis auarus re-
nunciet vſuris, fœnoribus & iniquis contracti-
bus, mundanus ſuis valedicat delitijs, vindictæ
flagrans odia conuertat in amicitiam, in amore
Dei tepidus iam incaleſcat, tardus & negligens
in ijs quæ Deum tangunt ſuique ſunt muneris
amodo dimiſſis omnibus his ſpiritum erigat in
contemplatione magnitudinis beneficij ſibi hic
conceſſi, quã in anima ſua nouos excitabit affe-
ctus ad perpetuam Deo gratitudinem: ſicque le-
gitime diſpoſitus accedere poterit ad cæleſtem
hãc menſam, ex qua fructus referat vberrimos:
quare ſicut in illa cibus illi exhibetur agni il-
lius diuini cuius figuram expreſſit agnus ille
Paſchalis Iudæorum: & illi ad huius feſtiuitatẽ
tanta ſe diligentia & ſanctitate præparant: ita
quoque vt Paſcha celebremus cæleſtis conuiuij
huius SS. Sacramenti fortior nos vrget ratio, vt
multò nos diligentius præparemus: quandoqui-
dem conuiuium hoc tanto antiquum illud præ-
cedit dignitate quanto figuram antecedit fi-
guratum.